Michael Denis: Codices Manuscripti Bibliothecae Palatinae Vindobonensis Latini Aliarumque Occidentis Linguarum. Vol. I. Pars III.
Wien, 1794 Seite 2903
Quelle:
Copyright:

natio &c. Tota in affectibus consumitur et finit: *Et totus te fruar et totaliter in vita eterna, quam nobis concedat* &c. Non reperi Autorem.

V. *fol.* 117. fine inscriptione *Adlocutio Synodalis* ad Clerum, quae incipit: *Fratres Presbiteri et Sacerdotes Domini, Cooperatores Ordinis nostri* &c. quamque etiam *Cod.* DCCCV. referemus; sed hic post ordinationem de *Chrismate* sic finit: *Volumus autem scire de quolibet presbitero, si ex ingenuis parentibus sit natus, an ex seruili condicione, si de parochia nostra sit natus, Volumus scire a quo fuerit natus* (ordinatus?) *vel ad quem locum pretitulatus. Si seruus, ostendat cartam libertatis, Si de aliena parochia, ostendat literas commendaticias.*

VI. *fol.* 119. *Tractatus de Confessionibus audiendis*, qui incipit: *Cum in arte naturalis medicine ad completam curacionem corporum siue custodiam in medico artis pericia requiratur* &c. Prologo subjicitur *Capitum* Syllabus, unde liquet, post enumeratas singulas gravium noxarum species agi de divinis mandatis, fidei articulis, Sacramentis, Misericordiae operibus, officiis diversis hominum, de modo tractandi Peccatores pavidos et obstinatos, de ipsa noxarum confessione, et absolutione, de Casibus reservatis. Subnectuntur Quaestiones duae: de Pollutione nocturna et an Religiosi peccent graviter regulas ordinis sui transgrediendo. Initium ipsius Tractatus est: *Sacerdos igitur sedens ad confessiones audiendas* &c. et finis: *veniale peccatum est sicut frangere silentium uel aliud simile.* Adjecit jocularis Librarius:

Explicit hoc totum, propina da michi potum.

Mallem Autoris nomen, quem inter hujus argumenti Scriptores incassum sectatus sum.

VII. *fol.* 148. p. 2. *Expositio Orationis Dominicae et Angelicae Salutationis* perperam minio *Thomae Aquinati* inscripta. Est enim catena Textuum e Patribus et ipso *Thoma* depromtorum; non tamen excerpta ex *Catena aurea*, sive *Continuo Thomae*, quocum contuli. Inchoat vero: *Pater dixit non dominus, quia amari appetit non timeri* &c. et finit: *exhibente diuine miseracionis.* Autorem ignoro.

VIII. *fol.* 155. *Quaestiones XII. de Horis Canonicis.* Initium: *Queritur quid significent hore canonice et vnde dicantur* &c. Finem faciunt versus de horarum canonicarum significatu, quorum ultimus:

Christo bissena custodia canitur (ponitur) *hora.*

cui